Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26261
Copyright: Admont, Benediktinerstift



Feliciter uincit. qui proficiscens e mundo diabolum quem in
presenti deuicit. in futuro cum domino iudicabit. Feliciter
uincit. qui et diabolum et mundum post uictoriam derelinquit.
Feliciter enim uincit. qui post uictoriam uinci non nouit. Alios
enim post unum certamen ad alias palmas dominus seruat. alios
consummato martirio iam coronat. Alios uictores retinet
in exemplum. alios iam perfectos transmittit ad celum. Alios
frequenter desiderat uidere certantes. alios iam passio
ne meritos imponit regnis celestibus triumphantes. ut
imperatoris xpi ab omnibus dignatio collaudetur. qui in suis et
semel et frequenter hostem deuincit. et quem quomodo pugnare
uiderit munerabit. Tantum contra hostem exercitetur ani
mus. exeratur uirtus. deuotio preparetur. ut procedens mi
les ad bellum. uel primo prelio coronetur. uel frequentibus tro
pheis palmarum numero honoretur. Sic dimicarunt. quos
diligere xpiane consuesti. sic preliati sunt quos semper amasti.
Denique tres pueri in caldea barbari regis terrores dum
despiciunt. formidines calcant. minas contempnunt.
sic eundem regem. cum suis ignibus deuicerunt. Denique daniel
cultor dei. amator iusticie. ueritatis defensor. dum in
asserendo domino regis edicta contempsit. sic et leonum rabiem
uicit. et de interitu inimicorum exultauit. PETRVS
et iohannes apostoli adorandum dominum hora nona salemonis templum
ascendunt. claudum curant. uirtutem faciunt. quinque
milia uirorum predicando acquirunt. Unius cura. multitu